



§. I.



Considerauimus hucusque in quibusdam disserta-
tionibus academicis morbos humorum, ita,
vt, differentiis explicatis, pathologiam illustra-
remus, et, primaria indicatione therapevtica
proposita, veram medendi methodum statueremus. Sic
differentiis plethorae venaesectionis et oligochymiae nutri-
tionis modum accommodauimus. Inuenimus quidem
in copia et inopia sanguinis et humorum signa satis lucu-
lenta, quae eorum contemplationem faciliorem redde-
rent. Cum autem nunc ad deprauatam indolem humo-
rum diiudicandam in cacochymiae differentiis progre-
diendum sit, haesitamus omnino, cum mixtio particula-
rum, ad quam in signis praecipue respiciendum est, dif-
ficillime definiatur. Re tamen accuratius examinata,
hac nobis oblata occasione, inceptum hunc laborem
continuare non dubitauimus. Quamquam quidem prae-
videmus, differentiam cacochymiae signorum fallacis
saepius obnoxiam fore, neque ad veram claritatem sem-
per adduci posse; confidimus tamen, post continuatas, de

Instituti ratio.